DISSERTATIO MEDICA


INAUGURALIS,

DE

ENTERITIDE.

Auctore JOANNE MURTA.

VARIIS ex affectibus, quibus corpus humanum affligi solet, pauci mihi aptiores ad captandum medici attentionem, sive magis importune perspectum ejus intimum requirentes, quam enteritis, videntur. Sæva hujus morbi atrocitas, celeritas quâ ni arte refrenetur, ad eventum lethalem festinat, magna impedimenta, quae summi momenti functionibus opponunt; late diffusi consensus nervosi, sive *Sympathiae*, quae ad agendum excitant, et quorum ope arte moderantur, et postremo, simulatio eorum exquisita, quae in aliis morbis inveniun-



tur omnia nos monent, quod haec valetudo probè instructum artificem ad ipsam curandam requirit. In paginis sequentibus, primo solitum enteritidis decursum ab initio ad finem, describam; tunc causas, quae eam concitant, deinde, rationem symptomatum explicare conabor; postea Diagnosin, Proxime, quae, sectis cadaveribus, in apricum veniant, expediam; Denique curationem, et principia, quibus niti debet, indicabo. Inter hanc posteriorem partem argumenti exequandam, magnâ cum voluptate, novum istum curationis modum, quo primum Doctor ARMSTRONG artem Apollinarem ditavit, et qui nunc, felicissimo exitu, a Professore nostro ALISON, in hac urbe adhibetur, animadvertam. Ad liberam opii administrationem post sanguinem rite missum, alludo. Sive hujus curationis efficacia concinnè ad Theorias antea excogitatas quadret, sive, "secundum artem," ad sanitatem aegrum reducat, sive non, vix opus est mihi considerare; bono scilicet GREGORIO consentienti, "Theoriam optimam esse Medicinae ancillam, nullam vero pejorem Dominam."

Hunc morbum CULLENUS celeberrimus ad classem Pyrexias ordinemque Phlegmasias retulit, et sic definivit, "Pyrexia Typhodes; dolor abdominis, pungens, tendens, circa umbilicum torquens: vomitus; alvus pertinaciter adstricta." Hujus quoque duas species, Phleg-

monodaeam et Erythematicam, memoravit. Prior verbis sequentibus definitur " Dolore acuto, Pyrexia vehementi, vomitu et alvo adstricta." Posterior vero " Dolore et Pyrexia lenioribus, sine vomitu, et cum diarrhœa."

Historia Morbi.—Hic morbus homines mediae vel provectae aetatis saepius infestat, robustosque et plenos, potius quam infirmos, plerumque vere et primo autumno invadit. Hujus morbi initio languor lassitudoque adsunt; horrores cum caloribus alternant; pulsus exilis, celer, durus evadit; cutis calet arescitque; abdomen tumet, et dolor torquens in aliqua abdominis parte, sed praecipue circa umbilicum percipitur. Hic pressu, plena inspiratione, vehementique tussi, multum augetur, ideoque spiritus difficulter perficitur et potissimum, per costas, venter sese contrahit quasi in tumores vel orbiculos multos, vires valde et subito imminuuntur; motus intestinorum peristalticus usque adeo nonnunquam invertitur, ut homo materiam biliosam aut etiam faeculentam evomeret; os et fauces aridae sunt et secretiones, qualiter partibus inflammatis contingere solet, suppressae sunt. Anxietatem et dolorem ingentem vultus aegri mire exprimit; sitis intensa urget, urina parca, nec facile fluit, alvus pertinaciter adstricta est. Morbo jam ad

finem lethalem properante, haec signa apparent; Membra extrema frigescunt; facies, et labia maxime pallida sunt; sudores olidi gelidique e variis partibus corporis prorumpunt; respiratio difficillime ducitur saepe materiae stercoraceae vomitus est. Si quando haec indicia repentino evanescânt; si alvus, antea adstricta nunc soluta sit; gangraenae superventum medicus plerumque augurare potest.

Causae.—Inter praedisponentes autem causas collocari potest quicquid alvum astrictam facit, atque ita intestina praeter naturam onerat. Certa insolita irritabilitas quoque intestinorum, huic morbo hominem opportunum reddit, idque maxime, si simul cum robusto habitu corporis temperamentoque sanguineo conjungitur, ii etiam maxime eodem periclitantur, qui vitam desidiosam degunt, praecipue si eodem tempore ulli intemperantiae dediti sunt, vel si cibos difficiles concoctu assumere solent. Denique, illi homines, qui hoc morbo, vel etiam dysenteriâ jam affecti sunt, Enteritidi potissimum obnoxii sunt; ideo quia tanta imbecillitas intestinorum post haec vitia relinqui consuevit, ut facillime, causis excitantibus remotis, iterum pari modo afficiantur. Causae, quae excitant, variae sunt; ex his frigus praecipua est. Id sive intus admotum, sive externis partibus calefacti corporis,

saepenumero hunc morbum creat. Conjunctum cum humore et admotum externis partibus, aeque pro causa Enteritidis, ac aliarum Phlegmasiarum existit. Haud mirum videbitur, frigus tantum valere ad hunc morbum similesque concitandum, quum in mentem revocamus, quantum partes internae corporis cum cute consentiant. Mutationes in temperatura aëris, aliqua materia acris canalem alimentarium irritans, liquores fermentati aut ex alcohole confecti, immodicâ copiâ sumpti, venena fossilia, stercus acre, alienus usus validorum purgantium atque Hernia incarcerata et colica, inter causas Enteritidis proponi possunt.

Ratio Symptomatum.---Quum animo reputamus nexum arctum mirumque consensum qui inter canalem alimentarium, et cunctas corporis partes, intercedit, facile patebit, quare tot tamque varia symptomata in Enteritide incidant. Inflammatio oriri potest in aliqua ex tribus intestinorum tunicis, et serpere potest ab alia ad aliam ita ut magnae symptomatum diversitates, mutationesque in his ad diversa morbi tempora afferantur. Si enim inflammatio in tunica musculosa insedit, Ilei symptomata magis conspicua erunt : si in peritonaeo actiones musculosae parum impediuntur utrâque ex his simul affectâ, vera Enteritis inducitur.

Tensio et tumor conditioni plethoricae vasorum aeque ac flatui et stercori collectis attribuenda sunt. Dolor abdominis acutus est, quia nervi comprimuntur aucta mole vasorum, eorum sensu acutiori facto, propter auctam sanguinis copiam huc transmissam. Incrementum doloris, quod ex tussi et inspiratione oritur, diaphragmati viscera laborantia comprimenti attribui debet. Alvi durities quae fere perpetuo hunc comitatur morbum, efficitur secretione suppressa, atque intestinorum spasmo. Celeberrimo Doctore ABERCROMBIE autem admodum diversa, sed ingeniosa, hujus symptomatis ratio reddita fuit. Ille vir sibi persuadet fibras musculosas alicujus partis canalis infirmatas aut resolutas esse vel a nimia distentione aut inflammatione, ideoque non posse propellere deorsum ea, quae continentur, dum pars sana quae supra est, usque materiam contentam demittit in hanc partem infirmatam aut resolutam, ita ut distentio ejusdem continuo augeatur, et ilei symptomata tandem afferantur. Quum ventriculus tam vicinus est affectae parti, et ipse fortasse morbo implicatur, facile est explicatu, quare urgeant nausea et vomitus. Tormina vehementi intestinorum actione supra partem inflammatam moventur, et exacerbationes doloris materia contenta adversum eandem partem transmissa excitantur. Insignis viri-

um corporis defectus, aliaeque turbationes corporis haud mirae videbuntur, si medicis reputatur, quam late nervus sympatheticus magnus distribuatur, et quot nervis idem sit connexus.

De Diagnosi.---Ad Diagnosin pertinent, Colica, Gastritis, Peritonitis, Hepatitis, et Dysenteria.

In Colica, pyrexia nulla vel modica est, pulsus mollior, plenior, atque tardior est, dolor abdominis, ex intervallo rediens, pressu minuitur, musculi abdominis contracti sunt, corpusque antrorsum flexum est inter paroxysmum ; haec indicia ab Enteritide satis discriminant. In Gastritide vomitus magis urget, majorque singultus est ; et plus delirii in hoc morbo quam Enteritide accidere solet. Praeterea dolor vehemens in epigastrio, nullus circa umbilicum est ; neque ventriculus cibum nec potionem retinere potest. In Peritonitide dolor abdominis ex pressura minima, magis exacerbatur, posituque corporis erecto, vomitus non semper adest ; alvus minus pertinaciter adstricta est. Æger dorso recumbit cruribus reductis, nec alium positum corporis tolerare potest. Hepatitidem acutam discernimus dolore pungente in hypochondrio dextro ; cum summa difficultate in sinistrum latus cubandi. Dolor quoque ad summum dextri humeri tendit : difficultas spi-

randi est cum arida tusse, neque rarò multa signa Icteri accedunt. Dysenteria maximè discernitur ab Enteritide tenesmo violenti, et dejectionibus sanguinolentis et mucosis cum scybalis. Denique, vires vix unquam dysenterici aeque depressae sunt ; dolores tolerabiles sunt, minusque pressu aggravati.

De Morbi Terminatione.—Tres Enteritidis terminationes plerumque enumerantur, Resolutio nempe, suppuratio, atque gangraena. Ex omnibus istis terminationibus autem longe optima est resolutio, quae sequentibus signis cognoscitur. Alvus laxa fit, dolor lenitur, cutis aspectusque faciei magis naturales fiunt, pulsusque plenior et mollior est ; sudor quoque naturalis redit, cum desiderio cibi potionisque, et reliqua omnia signa redeuntis sanitatis. Suspicamur autem fore ut morbus in suppuratione finiatur, si, longe neque multum imminuitur nec adaugetur ; Judicamusque suppurationem jam factam esse, si dolor lentè recedit, et cum eo omnia signa acutae febris, ita ut, loco eorum oriatur sensus ponderis, potius quam dolor, et signa febris Hecticae potius quam ardentis ; pulsus plenior et mollior fit, crebrique honores universum corpus percurrunt. Cum vero gangraena signis omnibus aliis Enteritidis super. venit, indicia alia evanescunt ; dolor subito

cessat, vires brevi labuntur, pulsus fit debilis, abnormis, quam numerari possit frequentior; sudor gelidus e corpore manat; singultus moleste habetur, intestina relaxata aereque tensa abdomen tumefaciunt, urina suppressa, subsultus tendinum, syncope, vultus cadaverosus, facies Hippocratica, mors tandem subsequuntur.

Sectio Cadaverum.---Inciso abdomine, odor putris exhalatur, intestina saepe reperiuntur admodum distenta, eorum tunicae solito crassiores, magis rubrae; nonnunquam vero colore viridi sunt. Vasa lympham glutinosam ope cujus intestina interdum cohaerent nonnunquam effudisse apparent, e sede propria eadem divelluntur; aut aliud alterum involutum accepisse videntur. Maculae nigrae et lividae in intestinis ostendunt morbum in gangraenam desiisse. Sed necesse est praeterea ut pars facile lacerari possit, tenacitate ejus naturali amissâ; quoniam nigrities potest oriri ex multo sanguine vasculis elapso, quae saepe pro gangraena habita est. Ulceratio saepe detegitur quum inflammatio in tunica villosa extiterat, et frequentius in intestinis crassioribus. Intus-susceptiones, constrictiones, et volvulus intestinorum tenuiorum haud raris exemplis reperta sunt.

Ratio Medendi.---Tota ratio medendi tria consilia complectitur. Haec sunt, Primo, inflammationem debellare. Secundo, signa molestiora sedare aut tollere. Tertio, morbo decessuro vires sustinere.

Curatio in hoc, ac in aliis morbis inflammatoriis, quam diligentissime suscipi et peragi debet. Quum igitur suspicio hujus mali incederit, ad sanguinis detractionem confugiendum est ; quod quidem praecipuum remedium, sine quo caetera omnia parum valent. Neque infirmitas viresque corporis amissae, quod plerumque observandum est, prohibere debent ne sanguis emittatur ; detrahenda est magna copia initio, et venaesectio iteranda est, postea pro vehementia atque saevitia symptomatum, proque aegri aetate corporisque constitutione. E magna plaga emittere oportet, quo subita sanguinis jactura animi deliquium inducat, et quo genus sanguiferum magnopere afficiatur. Post venaesectionem libera detractio hirudinibus plurimis abdomini admotis, perutilis erit. Hirudines semper cucurbitulae anteponuntur, quia hujus pressus necessarius dolorem auget ; atque hirudines facilius applicantur. Postquam hirudines sugere cruorem cessaverint, fomenta calida, per bihorium sive trihorium abdomini indenda sunt. Hinc enim, duplex commodum oritur ; primo, quod vis caloris morsus hirudi-

num patulos servet; fluxumque sanguinis continuet: deinde, quod partium affectarum relaxationem inducat, spasmumque ideò solvat. His praemissis, si parum morbi saevitia cessarit, vesicatorium amplum abdomini applicandum. Vires ejus contra-irritantes, secundum theoriam HUNTERIANAM "duae morbidae actiones non simul in corpore existunt," felices saepe effectus edunt, nec rara fit, ut alvus, antea astricta propter inflammationem et spasmum quem ea gignit post vesicatorii actionem, Catharticis, prius frustra adhibitis, felicissime cedat.

Nonnulli enemata ex tabaco in hoc morbo laudant, quippe quae spasmum laxant, et vim inflammationis compescunt. Minus autem haec illustrissimo GREGORIO arridebant; qui nimirum auctor fuit, nonnisi omnibus aliis frustra adhibitis, tam molestum et periculosum medicamen adhiberi debere.

Cathartica, praemissis remediis antiphlogisticis, non sine fructu porriguntur. Haec autem, mitioris sive saltem medii generis esse debent; drastica enim cathartica adhibere, quid est, nisi oleum addere flammae? Constanter secundâ vel tertiâ quaque horâ, donec alvus solvatur, adhiberentur. Interea, enemata per anum injicienda sunt; haec autem magnae molis, forsan pondere trilibris esse debent. Hinc enim fit, ut distentione, non secus ac propria vi irritante

intestina ampliora stimulentur. Ex consensu autem diversissimas canalis intestinalis partes intercedente, hic stimulus, ex contractione quam inducit superiores etiam partes ad vermicularem propriam contractionem rite peragendam, adjuvat, actionique catharticorum favet. Cathartica, quae huic morbo adaptantur, sunt oleum Ricini, infusum sennae cum sulphate magnesiae, extractum colocynthidis compositum calomelane conjunctum formâ pilularum. Nonnulli conjungunt oleum crotonis Tiglii, cum oleo Ricini. Enemata, plerumque conflantur ex decocto avenæ, cui addi possunt varia purgantia medicamina qualia sunt, murias sodae, infusum sennae, oleum Ricini, sulphas magnesiae, &c.

Provectioribus hujus morbi stadiis, praemissis venaesectione aliisque remediis antiphlogisticis, Professor noster ALISON opium adhibet. Ad grana autem duo, ni fallor, tertiâ vel quartâ quaque horrâ, porrigit. Hoc modo administratum, vomitum, qui magnopere tum molestat, tum debilitat aegrum; necnon, rejectis catharticis, gravem injuriam ei afferat, opium felicissimè compescit. Dolorem quoque sedat, quod, quando tutò fieri potest, maxime est optandum. Præterea, quod ad Cathartica non solum efficere videtur, ut vomitu represso, ea retineantur, verum etiam, actioni earum pro-

priae favet, adjuvatque, præsertim quando per anum injiciantur. Quomodo id fiat, hoc modo expediri posse credo. Intestinum, inflammatione affectum, praeter naturam, ut fieri solet, irritabile evadit; hinc autem, ingestorum moles, sive ex faecibus ipsis sive ex iis, cum Catharticis admistis, confletur, quando vermiculari intestinorum contractione, usque ad partem inflammatam defertur eam insolito stimulo afficit, unde motus musculosus abnormis, spasmusque oritur. Spasmo autem facto, obstruitur omnino faecum transitus, contractioque intestinorum invertitur, et pertinax alvi astrictio, forsan etiam vomitus, sive intus-susceptio nascitur. Opium autem vi propriâ quâ pollet, spasmum solvere potest, ideoque, purgantium medicaminum, sive ante, sive post id, adhibita sint, efficaciam expedire.

Quando a medico tam verè artifice et perito, opium in Enteritide, modo, quem, supra memoravi, adhibeatur, non dubito, quin præstantissimum est remedium. Neque a medicinâ rationali, neque a pathologiâ sanâ, hujusmodi curatio abhorret. Sed, ARMSTRONG jactitanti huic remedio magis quam venæsectioni in Enteritide fidendum esse, dubias aures, juvenis saltem medicus, obvertere debet; hoc enim, ni fallor, empiricen redolet "fuge, latet anguis in herba." Inter vero, hoc remedium, ut supra

etiam proposui, administrandum; medicus in animo hæc tria consilia tenere debet. Primo, sanguinis missionem, aliaque antiphlogistica remedia opii usurpationi præponere, quippe quod, adjutorium eximium, non vero, præcipuum auxilium sit. Deinde, cavere ne id præter modum stimulet. Postremo, quando id, vomitum et præsertim dolorem sedaverit, curiose prospicere, quomodo æger, quod ad alias res, sese habeat; ne sanè, haec, tam gratè succedentia, perniciosam ei securitatem facessant; quod, ni is vigilanter rem agit, fieri potest; haec enim, brevi solantia, non raro, gangræna morsque excipiunt.

Ut vires convalescenti concilientur, cibus ei permittendus est, exiguus quidem initio, sed idem nutriens, facilisque concoctu. Ex cibis autem, optimum fortasse erit, paululum lactis, vel rei farinaceæ, cum exiguâ copiâ vini. Si ratio cœli patitur, exercendum est ægro, vel ambulando sub divo, vel equitando, aut curru. Ante omnia autem, homo quam diligentissime a frigore servari debet; atque hoc consilio uti semper, proxime cutem, vestimentis ex pannis laneis, alvumque quotidie semel ad minimum deplere. Hoc fieri potest, eâ aut medicamentis leniter solicitatâ aut diæta.

FINIS.